

ficationes. Ostendite mihi, quisquis lexicis ita favetis, quis lexico-
 graphorum omnes significationes congeffit, tradidit, enumeravit?
 quis nullam se omisisse ad præstationem testatus est, aut testa-
 ri potuit. Nemo hoc unquam aut præstitit, aut præstabit, neque
 ego meo lexico nunc præsto. Quarum autem magis causâ exop-
 rantur lexica. Non utique vocum causa, quas jam in autoribus,
 quos legimus, præ manibus habemus, etiam eas, quas lexicon non
 habet: non punctationis, quæ & ipsæ non sunt necessariae, cum non
 puncta significationem textus determinent, sed consonantes; ni-
 hilque magis contra naturam linguarum orientalium sit, quàm
puncta venari vocalia, illa tantùm urgere. Id quod Cl. Erpenio mi-
 hique harum linguarum antistitibus quæso interim minus in iis ver-
 sati credant, & linguis faveant, dum oculorum sensui magnam in-
 tellectus partem tribuimus: nec ingenio opus sit in absentia voca-
 lium esse adedò timido, laborioso, aut anxio; non denique radices
 etiam quærere debeant, cum quot sint, naturaliter, ut jam ostendi,
 & quæ sint, quisque noverit. Quænam autem suæ vocis radix sit, sola
 etymologia benè, perspicuè, accuratè, breviterque tradita ostendat.
 Quid ergo restat, quod homines maximè quærunt in lexicis. Si-
 gnificationes supersunt. At verò omnes adhuc illæ tradi non
 possunt: etiam si ex centenis lexicis omnes colligeres, non ta-
 men propterea omnes habueris. Prætereà autem & hoc conceda-
 mus, extare jam omnes omnino quoque significationes, easque ef-
 se probissimè distinctas in primarias & secundarias, proprias &
 communes, æternas & temporarias, accidentales & essentielles, in-
 notas & notiores, in obscuras & obscuriores; in frequentes & raras.
 Sint hæc omnia probè elaborata. Jam nisi tuum ingenium fatea-
 ris supremam manum imponere, nisi ab hoc fatearis omnem pro-
 venire certitudinem significationis, nisi hoc sit instar ariadnes, nisi
 hoc filum subministret, procul omni dubio intelliges potius
 lexica te in labyrinthum multitudine illâ, atque varietate signifi-
 cationum coniecisse, quàm eripuisse. Quam enim ex omnibus illis
 significationibus præsentis loco applices? quamnam hic quadrare
 credas, quamnam jubebit lexicon? nullam. sumas licet vel falsissi-
 mam pro præsentis loco, non injuria ejus est, nec beneficium, si ve-
 nissimam: tota beneficii, aut injuriæ species, causa, & ratio à te